

- PAR.* iam ea te causa maxume nunc hoc intro ire nolo ;
 nam si remittent quidpiam Philumenae dolores,
 15 omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli 350
 quaë inter vos intervenerit, unde ortumst initium irae.
 atque eccum video ipsum egredi : quam tristis[es]t ! *SO.*
 o mi gnate !
PAM. mea mater, salve. *SO.* gaudeo venisse salvom.
 salvan
 Philumenast ? *PAM.* meliusculast. *SO.* utinam istuc ita
 di faxint !
 20 quid tu igitur lacrimas ? aut quid es tam tristi' ? *PAM.* 355
 recte, mater.
SO. quid fuit tumulti ? dic mihi : an dolor repente invasit ?
PAM. ita factumst. *SO.* quid morbi est ? *PAM.* febris.
SO. cotidiana ? *PAM.* ita aiunt.
 i sodes intro, consequar iam te, mea mater. *SO.* fiat.—
PAM. tu pueris curre, Parmeno, obviam atque is onera
 adiuta.
 25 *PAR.* quid ? non sciunt ipsi viam domum qua veniant ? 360
PAM. cessas ?

iii

PAMPHILVS

- Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum
 unde exordiar narrare quae necopinanti accidunt ;
 partim quae perspexi hisce oculis, partim quae accepi
 auribus :
 qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
 5 nam modo intro me ut corripui timidus, alio suspicans 365
 morbo me visurum adfectam ac sensi esse uxorem : ei mihi !